



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

§. I. Quid, quæ & quot notiones Divinarum Personarum?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73455)



## ARTICULUS II.

De notionibus &amp; modo loquendi de Divinis Personis.

## S U M M A R I A.

1. Quid sit notio?
2. Quot sint notiones?
3. Origines non sunt notiones.
4. Disparitas inter innascibilitatem & ingenerabilitatem.
5. Innascibilitas an sit negatio?
6. Summa Personarum similitudo & aequalitas.
7. Earundem  $\pi\epsilon\gamma\gamma\alpha\sigma\iota\varsigma$ , seu circum infessio.
8. Ejus vocis auctor D. Damascenus.
9. Regulae pradicandi absolute.
10. Regulae pradicandi singulariter, vel pluraliter.
11. Regulae pradicandi transcendencia?
12. Unum & Ens dicuntur tam singulariter, quam pluraliter.
13. Non autem bonum & verum.
14. Quomodo Persona pradicetur de singulis personis?

## §. I.

Quid, quae & quot notiones Divinarum Personarum?

1. **N**otio hic q. 32. a. 2. definitur à S. D. quòd sit propria ratio cognoscendi Personam Divinam, hoc est, ratio objectiva, tenens se ex parte Personae, per quam, veluti specialem notam & characterem, aliquam Personam Divinam cognoscimus, & ab alia fecernimus. Quae proinde quatuor exigit conditiones. Primò ut significetur termino abstracto, quia sicut ratio formalis essendi, vel aliquid constituendi termino abstracto, ipsum verò constitutum termino concreto significatur; ita & ipsum cognitum termino concreto, ratio verò cognoscendi melius termino abstracto exprimitur. Secundò, ut sit aliquid ad originem pertinens: omnis enim distinctio in Divinis ex relatione originis provenit. Tertiò, ut non sit commune omnibus Personis: hoc ipso enim non esset ratio distinguendi unam Personam ab altera. Quartò, ut pertineat ad dignitatem, eamque connotet, quia, ut habet S. D. q. 29. a. 3. ad 2. Persona est nomen dignitatis.
2. **Q**uinq; notiones, juxta eundem S. D. cit. q. 32. a. 3. & communem doctrinam Theologorum, ponuntur in Divinis. Nimirum innascibilitas, & paternitas in Patre: filiatio in Filio, spiratio activa in Patre & Filio: processio, seu spiratio passiva in Spiritu Sancto. Cujus numeri haec est ratio. Cum notiones pertineant ad originem, tot sunt notiones in Divinis, quot sunt diversi modi & rationes originis, quibus & dignitas Personae Divinae, & ejus ab altera distinctio nobis innotescit: sed ejusmodi diversi modi & rationes originis sunt quinque: ergo. Nam duplex in primis est ordo & modus originis; unus, qui vocatur, à quo alius; alter, qui ab alio: ille ad activam, iste ad passivam originem pertinet. Quantum ad modum originis à quo alius, sic est in Patre paternitas, quantum ad modum originis, qui ab alio, sic est innascibilitas, quae significatur Patrem esse ingeneratum, primum & fontale principium Personarum, seu principium sine principio. In Filio quoad rationem,

qui ab alio, est filiatio; quoad rationem, à quo alius, sic est spiratio activa communis Patri & Filio. Tandem quoad modum originis, qui ab alio, est in Spiritu sancto spiratio passiva, quantum ad ordinem, à quo alius, nulla ulterior datur, cum productiones ad intra in Spiritu S. terminentur. Et hinc pater quinquarius numerus notionum.

Intelliges ex dictis primò. Ipsas origines & generationem, nativitatem, non esse notiones, partim quia per illas non directè, & proximè ipsa Persona, sed actus notionalis ipsius innoscitur; partim, quia non significat per modum formae permanentis, sed quasi vialis & fluentis, & ita nativitas Filium non quasi in factò esse, sed quasi in fieri denotat.

Intelliges secundò. Cur innascibilitas connotat notionem; non item ingenerabilitas, vel inspirabilitas. Ratio nimirum est, quòd innascibilitas negat omnem modum ab alio procedendi, adeòque significat dignitatem primi fontalis principii, quae non nisi primo supposito infinita & Divina intelligentiae convenire potest. Ingenerabilitas verò, vel inspirabilitas tantum negat aliquem specialem & determinatum modum ab alio procedendi, quod etiam reperitur in creaturis, & ideo non significat dignitatem.

Neque refert, quòd innascibilitas sit negatio, negatio verò non sit dignitas. Nam esse, quòd in modo significandi innascibilitas formaliter dicat negationem; adhuc tamen pertinet ad dignitatem, quia ex parte rei significat importans fundamentum hujus negationis, quod connotat dignitatem: neque enim notio ipsa debet esse dignitas, sed dignitatem denotare & manifestare.

Quæris, quodnam sit hujus negationis fundamentum? Resp. esse ipsammet paternitatem, prout in ratione formae hypostaticae primò terminat Divinitatem: atque ita connotat naturam Divinam, ut à se habitam, facitque, quòd Pater habeat primatum originis, sicque fontale principium tum communicativum Deitatis, tum productivum Filii & Spiritus S.

## §. II.

Divinarum Personarum similitudo, aequalitas, & mutua inhabitatio.

**D**ivinas Personas sibi invicem simillimas & coaequales esse docet fides in Symbolo Athanasio. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus S. & tres Personae coaeternae sibi sunt, & coaequales. Ratio utriusque est manifesta: quia quantum magis aliqua conveniunt in una forma, tanto sunt similliora, & quantum magis sunt ad invicem commensurata absque unius excessu super alterum, tanto major est inter illa aequalitas: sed Divinae Personae tam in natura, quam omnibus perfectionibus simplicissime per identitatem conveniunt, nec reperitur in illis unius Personae excessus super alteram, neque quoad perfectionem, neque quoad durationem: uti elegantissime expressit D. Augustinus.